B. N. C.
FIRENZE
1038
19

1033 19

Q. D. B. V.

De

SIRMIO,

diſputabit

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE

SCHURZFLEISCHIO,

JACOBUS ZABLER,

Bartfa-Hungarus.

WITTENBERGÆ,

LITERIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO M DC XC.

I.

INter veteres Pannoniæ urbes, clarum & illuſtre fuit Sirmium, loco peramœno & fertili ſitum, qvod Bacuntius fl. alluit, qvi poſtea in Savum exit, & *Bozvvtha* vulgo appellatur. *Plinius H. N. lib. III. c. 26. Alter amnis Bacuntius* (alter Çolapis jam ab eo memoratus erat) *in Saum Sirmio oppido influit, ubi civitas Sirmienſium.* Saus Straboni Σάος, *Geograph. l. IV.* & Σαύος *lib. VII.* ſi tamen poſterior lectio vera eſt, qvam retinuit Caſaubonus. Cum priori facit Arrianus, qvi Pannoniam obiit, fluviumqve hunc oculis aſpexit. *In libro rerum Indicarum.* Ptolomæo Σάος, item Σάουιος, & Σαούϊος, *Geograph. l. II. c. 14.* Mendoſa enim lectio videtur Σαουαρίας. Nicetæ Choniatæ Σάουβος, *Annal. Manuel l. II.* Latinis Plinio Saus, *c. l.* Julio Solino Savus, *Polyhiſt. cap. XXIV.* Aethico Sua-

nus *in Coſmographia p. 19.* Qvo libro uſus eſt V. C. Rod. Snellius. Cum Ptolomæo Saum ſcripſit Jornandes de Get. c. LVI. Solini ſcripturam Poëta Claudianus, & ſeqviores cum recentioribus ſeqvuntur.

II. Omnes conſentiunt, in Pannonia qværendum eſſe Sirmium, qvippe qvod in Pannoniæ inferioris fines Ptolomæus deſcripſit; cujus portio fuit Pannonia Savia, tractus inter Savum & Danubium interjectus, auctore Procopio *Svavia* appellatus. *Ζȣαβία Gotthicorum l.* Jornandes Sveviam nominat, *de rebus Geticis cap. LIII. edit. Grotianæ.* Qvæ a Svevia Alemannorum diverſa eſt, *apud Paulum Varnefridum lib. II. cap. 15. de geſtis Langobard.* Ab aliis cognominata eſt Ripenſis, ſive Riparienſis, *in notitia Imperii Occidentalis.* Ab aliis qvoqve Sirmienſis, *apud Casſiodorum Var. lib. III. epiſt. 32.* Nicetas paulo ante memoratus totum hunc tractum, qvi inter Danubium & Savum patet, novo, & priſcis ignoto vocabulo *Francochori*-*n* appellare cœpit, *libro II. annal. Manuel. Comneni.* ἔςι τόδε τμῆμα τῆς Οὐγγρίας ȣ̓ τὸ ἐ-

λά-

λάχιστον (ſcil. τὸ Φραγγοχώριον, de qvo proximè dixerat,) ἀλλ' ἱκανῶς πολυάνθρωπον, μεταξὺ Ἴστρου καὶ Σαύου τῶν ποταμῶν ἀναπεπταμένον. h.e. Illud (Francochorium) non minima Hungariæ pars eſt, ſed hominibus freqvens, inter Iſtrum & Savum extenſa. in editione Vignoniana, qvæ 1593. adornata eſt, mendum extat, qvum Γραγχορίῳ ſcribitur pro Φραγγοχωρίῳ. Sanè qvos Latini Francos, eos Græco-Romani, vel Græculi ſcriptores Φράγγους, ſeu Φράγκους dixerunt.

III. Qva in Pannonia horreum Romani habuerunt, Sirmiumqve more ſuo cultum, & habitatione freqvens reddiderunt. Præter ſitus opportunitatem, necesſitas adduxit Octavium Auguſtum, ut arma in Pannoniam ferret, tractumqve Sirmienſem, arcendi, & invadendi hoſtis cauſa redigeret in poteſtatem. *Tranqvillus in Auguſto cap. XXI. Florus epit. hiſt. Rom. lib. IV. c. 12.* Utrisqve lucem affert Rufus Feſtus, dum ſcribit. *Bathone Pannoniorum rege ſubacto, in ditionem noſtram Panno-niæ* (prima & ſecunda) *venerunt. Amanti-*

nis inter Savum & Dravum proſtratis, regio Svavienſis, ac ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt. Hic regio Svavienſis eſt Pannoniæ Savia, eademqve pars Pannoniæ ſecundæ, ſive ut Ptolomæus loqvitur, *Παννονίας τῆς κάτω*, ſeu inferioris. Cum Rufo jungatur Jornandes, ex qvo intelligitur, diverſos in Pannonia fuiſſe Reges, Saviamqve rationibus Geographicis Pannoniæ ſecundæ attributam, ſed non eodem regno comprehenſam, *in libro de regnorum ſucceſſione p.39. editionis Lindenbrogianæ.* Hic belli horreum in Dacos conſtituit Auguſtus, & *Pæonum* (ita Pannones vocat) regionem juxta Savum & Iſtrum (Danubium) ſubegit. Cujus rei teſtis eſt Appianus, *in libro de bellis Illyricis*, qvem ſcripſit, anteqvam Auguſtus Romæ obtinuit unius Imperium, qvo parto, demum Pannonias in provinciam redegit.

IV. Revertor ad Sirmii Urbem, qvæ imperante Auguſto, ad gentis Pannonicæ laudem inſignis, ſervato per aliqvot ſecula ſplendore, omnibus Pannoniæ urbibus oppidisqve præſtitit, ac præripuit laudem. Deletis enim

Se-

Segeſtica & Siſcia, qvæ urbes propinqvæ erant, ex periculo evaſit Sirmium, & ſtetit in fide ac floruit, haud dubiè autem e ruinis finitimarum urbium crevit, nec modo Romanis ad receptum & hyberna profuit, ſed Imperatoribus qvoqve domicilium præbuit, qvotiescunqve in Pannonia, & extrema Imperii ora verſus Danubium commorabantur. Herodianus maximam Pannoniæ urbem celebrat, autorqve eſt, Maximinum Imp. cum inſtante hyeme, rediiſſet in Pannoniam, hyemandi cauſa Sirmium concesſiſſe. Εν τῷ Σιρμίῳ διατρίβων τῇ μεγίστῃ ἐκεῖ πόλει δοκήσῃ. *Hiſt. VII. 2.* Suffragatur Capitolinus, & Herodiani auctoritate nixus teſtatur, Maximinum veniſſe Sirmium, ut exinde in hoſtes duceret, Sarmatisqve bellum inferret. *In Maximinis duobus cap. XIII.*

V. Probus pace Sirmium fovit, vineasqve ibi inſtituit, maximè qva montem Almum ſpectat, in qvo prima hujus cultus initia cœperunt. Eutropius ſcribit. *Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit. Opere militari Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud*

apud Mœſiam ſuperiorem vineis cenſevit, & provincialibus colendas dedit. Lib. IX. cap. II. in Probo. Ex Eutropio ſua deſcripſit Aurelius Victor, excepto qvod hunc montem, vitibus conſitum, *Almam* nominavit. *In epitome editionis A. Schotti n. 52.* Ager hic latè patet, & lætas fruges fert, omniaqve ad victum & cultum corporis pertinentia copioſè præbet, ſituqve amœno, & ad proſpectum jucundo oculos & animum delectat.

VI. Turbato poſt bellis civilibus Imperio, urbem & agrum infeſtavit Licinius, qvem Conſtantinus cum exercitu adveniens, in Thraciam profugere coegit, & Sirmium Pannoniamqve armis, & ſecuta pactione, ſibi vindicavit. Zoſimus *hiſt. lib. II. c. 18. 19. 20.* Ubi in novisſima editione Cizenſi *cit. cap. 18.* duo menda ſunt, qvum Παιωνίας pro Παιονίας, item Σίρμον pro Σίρμιον, ſcriptum reperitur, qvod alibi tamen rectè expreſſum legitur. Auctoritate Evagrii qvidam Σέρμιον legi exiſtimant, ſed ſi bonos emendatosqve codices inſpiciant, deluſos ſe intelligent, & Σίρμιον fide

de optimorum codicum tuebuntur. Locus extat *lib. V. cap. 12.* Neqve aliter edidit Henricus Valeſius, vir harum peritiſſimus literarum. Hinc caſtigandus eſt Abraamus Ortelius, mendoſa *Jo. Chriſtophorſoni* editione deceptus, *in theſauro Geographico b. V.* Illud per ſe conſtat, Sirmium, non Syrmium ſcribi, contra qvam vulgo ſcribitur a Genebrardo, Bonfinio, & auctore novæ editionis Eutropii *lib. ix. c. 11.* Tanto magis de Salmaſio miror, *in not. ad Capitolinum, non tantum Hackianæ, ſed etiam Pariſinæ editionis.* Tum vero a Zoſimo, qvi Sirmii ſitum, & bellum utrinqve geſtum deſcribit, lucem accipiunt *Eutropius lib. X. c. 4. Victor n. 59.*

VII. In hac urbe, priuſqvam a barbaris capta eſt, multa & ardua Imperii negotia confecta ſunt, qvoniam Imperatores ſuam regiam, & Præfecti limitis Illyrici ſedem ibi habuerunt. Qvæ haud dubiè cauſa fuit, qvod Flavius Vopiſcus Sirmium ad numerum Illyrici Urbium aſcripſit, *in Probo cap. xix.* Errant, qvi indices hiſtoriæ Auguſtæ conficiunt, dum Sirmium Illyrici, qvod Vopiſcus commemo-

rat, a Sirmio Pannoniæ diſtingvunt, qvi ex Vopiſco doceri poterant, Sirmium, qvod Vopiſcus Illyrico tribuit, propinqvum eſſe monti Almæ. Qvo argumento facilè intelligitur, Sirmium Pannoniæ deſignari, qvod ſcriptor vitæ Probi Illyrico (laxiùs ſumto) aſſignavit.

VIII. Minimè omnium præterire debeo, qvod pleriqve Imperatores ortu Sirmienſes fuerint, magnamqve urbi dignitatem ſua naſcendi felicitate conciliarint. Aurelianus, qvi ſæpe vicit hoſtes ac triumphavit, Sirmii procreatus, & virtute ſua in Imperii poſſeſſione conſtitutus eſt, teſte hujus rei Vopiſco, qvi ſeqventia ſcribit, ſic tamen, ut dubitare videatur. *Divus Aurelianus ortus, ut plures loqvuntur, Sirmii, familia obſcuriore: ut nonnulli, Dacia ripenſi* (extra Pannoniæ fines ſita) *Ego autem legiſſe memini auctorem, qvi eum Mœſia* (qvæ ultra Pannoniam jacet) *genitum prædicaret. in Aureliano cap.* III. Sed Probo Imperatore prorſus gloriatur Sirmium, ejuſqve ortum ſibi vindicat, qvod nunc ſine dubitatione tradit idem Vopiſcus: *Probus*, inqvit, *oriundus e Pannonia, civi-*

tate

tate Sirmienſi, cap. III. *in Probo.* Ibidem invidia militum, qvos nunqvam otioſos eſſe, paſſus eſt, oppreſſus, tumulum habuit, cum hoc titulo in marmore inciſo. HIC. PROBVS. IMPERATOR. ET. VERE. PROBVS. SITVS. EST. VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. BARBARARVM. VICTOR. ETIAM. TYRANNORVM. *Apud eundem cap. xxi. Addatur Eutropius l.* IX. *c. 11. Victor n. 52.* Maximianus qvoqve Herculius non procul Sirmio natus eſt, qvem pleriqve Diocletiani fratrem nuncupant, vel ſolo patriæ indicio refellendi. Alter enim ex Pannonia, alter ex Dalmatia oriundus fuit. Hinc Eumenius in Panegyrico *fratrem adſcitum* extulit, qvem Capitolinus *fratrem imperii,* id eſt, collegam, nominaturus fuiſſet. in epiſtola, qvæ ab eo ſervata legi poteſt *in Clodio Albino cap. VII.* Victoris, qvem adduxi, verba, qvæ huc pertinent, ſic habent. *Maximianus cognomento Herculius ortu agreſti Pannonioqve. Nam etiam nunc haud longè Sirmio, eminet locus palatio ibidem conſtructo, ubi parentes ejus exercebant opera manuaria. n. 56.* Gratianus

Imperator, haud agreſti, ut Maximianus, ſed acerrimo ingenio præditus, multaqve doctrina excultus, Sirmium ortu ſuo nobilitavit, & Theodoſium, magnum illum imperii religionisqve vindicem, cum uſus poſceret, in curarum partem aſcivit, & Imperatorem renunciavit apud hanc urbem, in qva majeſtas imperii veteris magis, qvàm alibi, trans Alpes conſpecta eſt, cum virtute & armorum diſciplinâ ſtaret. Victor brevibus multa complexus tradit. *Gratianus genitus Sirmii*, *n. 72.* Haud obſcurè hinc elicio, patrem ejus Valentinianum Sirmii eſſe verſatum, utpote qvi uxorem ibi gravidam habuit, qvæ expleto ad pariendum tempore, maritum filio auxit. Paulo infra ſubjicit Victor atqve confirmat, ſummam Imperii apud Sirmium delatam eſſe ad Theodoſium, in qvo & filiis ejus hiſtoriam finit ille ſcriptor, non admodum elegans qvidem, ſed contrahendi induſtria, & ſcribendi fide præſtans. Ab exceſſu Valentiniani I. qvi bellum Qvadis Sarmatisqve illaturus, in finitimo Pannoniæ Illyrico obiit, regia Sirmii cum foro cœlitus tacta,

non

non lætum rei Romanæ omen tulit. *Apud Zoſimum lib. IV. c. 18.* Idem hoc de fatali fulminis ictu narrat Ammianus Marcellinus, ſcriptor prudens & verax. *Apud Sirmium repentino fragore nubium fulmen excuſſum, palatii & curiæ partem incendit & fori. lib. xxx. cap. 5.* Eventus poſthac omini fidem fecit.

IX. Præter ceteros crebro huc deſcendit Conſtantius, & qvæ belli in utramqve partem momenta eſſent, qvid res tempusqve poſtularent, Sirmii deliberavit, ac hybernorum opportunitate uſus, ex eâ urbe movit in hoſtile ſolum. Non dubito, qvin illo commorationis tempore de ſupplementis legionum, de annona & nervo belli cogitarit, qvi hanc unam itineris faciendi cauſam habuit, ut rempublicam conſtitueret, hoſtiumqve incurſiones prohiberet. In hanc ſententiam ſcripſit Ammianus Marcellinus, *lib. xvi. cap. 11. lib. xix. cap. 11. Inter hæc ita ambigua Conſtantium, Sirmii etiam tum hyberna qviete curantem, permovebant nuntii metuendi & graves, indicantes id, qvod tunc magnopere formidabat.*

Per

Per id tempus Qvadi Sarmatæqve Pannoniam incurſabant, qvorum reprimere impetum, atqve ulciſci injurias, magnopere cupiebat. Qvibus rebus intentus, hunc deligebat locum, expeditioni idoneum, & hybernis opportunum, ut ex propinqvo proſpiceret omnia & curaret. Paulo infra *h. lib. Valeriam* nominat, partem nempe Pannoniæ inter Dravum & Danubium interjectæ, qvæ ad honorem memoriamqve Valeriæ, Diocletiani filiæ, hoc nomine appellata fuit. Verba adducere ſupervacuum eſt, qvæ legi poſſunt apud Ammianum Marcellinum, qvi plura de Sirmio prodidit *lib. XXI. c. 9. 10.* Eo qvidem tempore, qvo Lucillianus comes, allato defectionis Juliani nuncio, in magno diſcrimine verſatus eſt, atqve in ea urbe ad reſiſtendum ſe comparavit, ſed cum incautius ageret, & Juliano occurreret, captus & in conſpectum Juliani adductus eſt, qvi feſtinato itinere, Sirmium contendit, lætoqve rerum ſucceſſu, urbem regiamqve Sirmienſem intravit. Ita enim expono verba Ammiani ſcribentis, *civitatem, ut præſumebat, dedi-*

dedititiam petens, citis paſſibus incedebat, eumqve ſuburbanis propinqvantem amplis nimiumqve protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus, votisqve fauſtis, Auguſtum appellans & Dominum, duxit in regiam. At qvænam hæc Pannoniorum regia, niſi Sirmienſis? Confirmat hoc Zoſimus, qvum tradit, improviſum hoc inopinatumqve accidiſſe Sirmienſibus, qvippe ob celeritatem adventus Juliani, admiratione ac ſtupore defixis. Nam Bononiã Pannoniæ, de qva paulo ante dixerat, non poſſe intelligi, multa indicio ſunt, ut magnitudo urbis & ſuburbiorum, inprimisqve deſignatio regiæ, qva non Bononia ad Dravum, ſed omnino Sirmium florebat. Nihil hic annotavit *V. C. Henricus Valeſius*, qvem tamen non credo non idem ſenſiſſe. Hinc numus Juliani planisſimè exponitur, de qvo eruditi hactenus conjecturas potiùs, qvàm argumenta protulerunt. Effigies in eo eſt Juliani barbam alentis. Nam vel ob hanc cauſam dictus eſt Πώγων, qvod barbam promitteret, atqve hoc ſigno a Conſtantio ſe averſum eſſe indica-

dica-

dicaret. Themiſtius non obſcurè id ſignificaſſe mihi viſus eſt, qvando hæc literis mandavit. Ὁ τὸν πώγωνα καθειμένος, καὶ τοῦ φιλοσοφωτάτου τῶν βασιλέων μεταποιούμενος. *In Oratione X. p. 221. edit. Petaviana.* Sapientiſſimus qvis ſit, vel ſapientiæ ſtudioſiſſimus, nulla hic conjectura opus eſt. Marcum enim cognomine Philoſophum intelligit, cujus vitam & mores, habitumqve & inſtituta ac ſtudia omnia imitari ſtudebat. Atenimvero numus ille, qvi literis SIRM. in ima parte inciſis, Sirmium ſine ulla dubitatione deſignat, ſub Imperii auſpicium Sirmii factus eſt, qvippe ex qva urbe Julianus movit verſus Naiſum Daciæ mediterraneæ urbem, qvam diverſa ſcriptione Ammianus *Næſſum* appellitavit. De Gratiano Sirmium ingreſſo, & exinde in caſtra adverſus Alanos profecto legatur Ammianus *lib. xxxi. cap. 11.*

X. Illud qvoqve cum Sirmii laude conjunctum eſt, qvod concilium ibi religionis cauſa habendum indixit Conſtantius Imp. ut cœtus divini rationibus conſuleret, & impium tur-

turbulentumqve Photini errorem, collatis Antiſtitum ſententiis, damnaret. Ipſe enim Sirmium venit, & ſanando vulneri remedium afferre voluit, convocatis ex Oriente pariter atqve ex Occidente præſulibus, qvi Photinum Sirmii Antiſtitem dignitate mulctandum cenſuerunt. Annus Concilii incidit in A. C. CCCLI. qvem argumento faſtorum conſularium definire licet. *Interim.conf.Socrates H.E.lib. I. c.29.* Sozomenus *lib.IV. c.6.Nicephorus lib.IX. c.31.* Copiosè juxta atqve eruditè Dionyſius Petavius defixit intenditqve animum in Sirmienſe Concilium, qvod apparet ex ejus animadverſionibus in Epiphanium ſcriptis, in qvibus Baronianam anni ſupputationem caſtigavit, primamqve ejus confesſionem a reliqvis duabus accuratè & meritò diſtinxit. In hujus rei inveſtigatione elaboravit Jo. Georgius Dorſchæus, inſtituta & edita *collatione ad Concilium Sirmienſe, qvam anno M DC L. evulgavit.*

XI. Idem, qvi Sirmii concilium habuit, illic qvoqve triumphum egit, & victis altera vice Sarmatis, cum pompa in urbem invectus eſt,

C magno

magno hominum concurſu & plauſu, qvi ea in re commune gaudium, & publicam felicitatem verſari judicabant. Qvanqvam Julianus deſertor de triumphali hac pompa contemptim ſcripſit, eaqve ſeu riſum, ſeu ſtomachum legentibus movit, perinde ac ſi Conſtantius nulla re geſta, triumphaſſet, materiamqve hujus gloriæ ſibi præripuiſſet. Id qvod declarat epiſtola ad Senatum populumqve Athenienſem perſcripta. Verba Latina ſubjungam. *Ita contigit, ut cum ego dimicaſſem, ille ſolum* (ad Qvados & Sarmatas) *iter feciſſet, & cum Iſtri accolis pacificè collocutus eſſet, non ego, ſed ille triumpharit.* Contra aſſeveravit Conſtantius, conatos reſiſtere Sarmatas ſe ſtraviſſe, Qvadosqve Sarmatis auxiliantes attriviſſe, in concione ad exercitum habita, qvæ extat apud *Ammianum lib. XVII. cap. 13.* Ut jactantius hic, qvam verius ſcripſerit Julianus.

XI. Qvincto poſt N.C. ſeculo, Pannonia non idoneis firmata præſidiis, ruentibus e Scythia barbaris patuit, ac ſeneſcente Imperii fortuna, ſæpe dominos ſuos mutavit. Poſt Ro-

ma-

manos enim Gothi, Gepidæ & Hunni Pannoniam invaſerunt, agrumqve Sirmienſem alii poſt alios occuparunt, inter qvos Gothi, Romanis tandem non invitis, ſedem aliqvandiu habuerunt. Teſtis eſt Casſiodorus, Theoderico Gothorum Orientalium regi ab epiſtolis, vir oppido diligens, & pro captu ſeculi eruditus, qvi in epiſtola ad Coloſſeum ſcribit. *Proinde proſperis initiatus auſpiciis, ad Sirmienſem Pannoniam, qvondam ſedem Gothorum proficiſcere. lib. III. Var.* Poſt eos Gepidæ, prognati a Vandalis populi advenerunt, Gothiſqve Sirmio excedere coactis, urbem agrumqve in poteſtatem redegerunt. Ab his receptum, Juſtinianus in ditione ſua habuit, & urbem qvanto conatu potuit, reſtituta illic præfectura, inſtauravit. Procopius ex Latina interpretatione ſcribit. *Gepidæ Sirmium, ac Dacias pene omnes invaſere, ſimulatqve ea Juſtinianus ademerat Gothis, lib. III. Gothicor.* Et ibidem Langobardorum legati ad Juſtinianum pronunciarunt. *Gepidæ Sirmium babent, Romanos in ſervitutem abducunt, Daciam ſuam eſſe jactitant.*

Evagrius auctor eſt, Gepidas non retinuiſſe diu Sirmium ſed Juſtino reddidiſſe, barbaros autem, qvos Hunnos interpretor, poſthac urbem Pannoniæ principem intercepiſſe. *Eccleſ. hiſt. lib. V. c. 12.* Τὸ Σίρμιον πρὸς τῶν βαρβάρων ἑάλω. Henricus Valeſius *in annotationibus ad h. l.* legit. ἀβάρων. Non malè, qvia ſcriptor iſte Hunnos occidentales intelligit, qvi Latinè Avares dicuntur. Ferri tamen prior lectio poteſt, qvia Hunni ſub illud tempus per eminentiam *barbari* forſan appellari cœperunt, Ἄβαροι tamen magis propriè & freqventius a Græco Romanis cognominati ſunt, ſigillatim a Nicephoro *in breviario hiſtorico* paſſim, & a Menandro Protectore *in eclogis*, qvas e MST. codice primus edidit David Hœſchelius. Fatalis certè iſti loco fuit irruptio Hunnorum, qvi primi omnium ab extrema Scythia profecti, ſub ſignis auſpiciisqve Attilæ Sirmium vaſtarunt, Romanisqve eripuerunt. Horum *temporum Attilanorum* meminit Juſtinianus, *in Conſtitutione Nov. XI.* Qvo in loco præfectura Sirmii, qvæ ad Illyricum ſpectabat, in Pan-

nonia, eaqve ſecunda, reponitur, non in Italia, ubi Firmium Piceni reperitur. Igitur librarii culpa admiſſum eſt, qvod *Firmium* vulgò lectitant, & extruſo contra mentem Juſtiniani Sirmio, Firmium, qvod, auctoritate Strabonis & Ptolomæi, ſola Italia ſibi vindicat, abſurdè in Pannonia locatur.

XII. Magnum ibi ſplendidumqve fuit ſacerdotium, qvod diu qvidem ante tempora Juſtiniani conſtitutum, tituloqve *Diœceſios* celebratum, ſed ab eo primùm ad *metropolin* Juſtinianæ primæ relatum eſt, idqve aſſenſu ſuo comprobavit Vigilius, Pontifex Romanus, cujus in lege nova ipſe Auguſtus mentionem fecit. *Novell. cxxxi. cap. 3. Congruit Procopius in libro de ædificiis Juſtiniani. Auctor notitiæ Imperii* Pannoniam Saviam, id eſt, Sirmienſem, inter ſex Illyrici diœceſes retulit, ſed de metropoli ejus nihil prodidit, qvippe qvæ, cum is ſcriberet, nondum erat conſtituta. *Addatur Baronius VII. Annal. Eccleſ. an. 539.* Nemo tam imperitus eſt, ut neſciat, tres fuiſſe urbes, Juſtinianæ nomine præditas, qvarum *pri-*

ma qvidem in Bulgaria ſita, & ex ruinis inſtaurata a Juſtiniano, & metropolis totius Illyrici ac Pannoniæ effecta eſt, de qva legi poſſunt Procopius, Cedrenus, Zonaras, Nicephorus aliiqve. *Secunda* & *tertia* huc non ſpectant, & alibi a me expenduntur. Sirmienſis ſacerdotii antiqvitatem pariter ac dignitatem probant *acta conciliorum* Veterum, nominatim Sardicenſis & Aqvilegienſis, Ep. qvi inter reliqvos Antiſtites ſubſcripſerunt. Poſtremus urbis Epiſcopus fuit Dumari Paulus, qvi in prælio Mohaziano cecidit, a qvo tempore omnes Sirmii rationes conturbatæ ſunt, & oppreſſa Pannoniæ libertate, ſacerdotium A. cIↄ Iↄ XXV. a barbaris extinctum, hodie vicum malè cultum oſtendit. Superiori anno demum ex ſervitute armis LEOPOLDI AUG. ereptum, priſtinam liberamqve conditionem ſub Pio & miti Rege ſuo recepit. *De Sirmio ad extremum legantur VVolfg. Lazius commentar. reip. Rom. lib. XII. c. 3. Thuanus hiſt. lib. IX. a principio, & communiter rerum Hung. ſcriptores.*

Supra §. *VI. fin. pro verbis*, qvem ſcripſit, anteqvam Auguſtus, *legi oportet*, qvem ſcripſit, retulitqve ad illud tempus, qvo nondum Auguſtus.

Hu-

Humaniſſimo florentiſſimoqve Juveni
JACOBO ZABLERO, Hungaro,
publicè diſputanti,
AMICO PERCHARO,
PRÆSES.

ORigines Sirmii, qvas inveſtigas, implicatæ & difficiles ſunt, etſi non pauci has reperiſſe ſe putant, easqve à Firmo qvodam Triballorum rege arceſſunt. Sed ipſi ſe decipiunt, & aliqvi etiam data opera *Syrmum* ſcribunt, ac tantæ molitorem urbis vocant, & more ſuo lepidè fabulantur. A qvibus cur diſſentias, cauſæ tibi bene multæ ſuppetunt, qvæ te hortantur ac movent, ut initia a Pannonibus indigenis repetas, & incrementa cultumqve majorem Romanis accepta feras, qvi hanc trans Alpes urbem velut alteram Pannoniæ Romam eſſe voluerunt. Invitavit hos loci ſitus, & ſoli fertilitas, qvæ hic mira eſt, & advenas delectat. De vini præſtantia & aliis naturæ bonis legas licet Galeotum Martium, Virum præcipuè doctum, & in perſcrutando diligentem, qvi qvæ de Sirmii conditore jactant alii & circumferunt, prudens in medio reliqvit, tanqvam ſi animo & cogitatione

ne

ne præcepiſſet ejus ſententiæ vanitatem. Sed poſtea ſui oblitus, mutavit ſententiam, & ſecus exiſtimavit, falſa, ut ſuſpicor, nominis conjecturâ ductus. Jamqve a ſe ipſo diſſidens, perperam qvoqve fabuloſi conditoris nomen ſcripſit, ſeriò, an ſecus, & ex ſua, an ex aliena mente, in præſens conſtituere non libet. Illud vero qvia ad urbis laudem pertinet, præterire nolo, qvod Romani hic idoneos agrimenſores habuerint, qvi finium regundorum munere fungebantur. Qvod tametſi non eſt proditū hiſtoriæ monumentis, tamen ab aliis confirmatum eſſe nemini, qvorum auctoritas permagni eſt, & in hac præſertim cauſa valet. Nam pertica Sirmii paſſim nota celebrisqve eſt apud auctores, doctrina præſtantes, qvi de limitibus agrorum tradiderunt. Inter hos Valerius agrimenſor extat, cui & fides, & artis ſuæ ratio conſtabat. Tanto minus ibi neglecta ſunt literarum ſtudia, qvod ſede Imperatorum, ac domicilio Antiſtitum diu floruit, qvorum illi artes belli potiſſimum, hi religionis ſapientiæqve ſtudia curabant. Sed Hunnorum deinde ferocia, & Turcarum poſtremo crudelitas omnia hæc ornamenta Sirmio eripuit, qvæ magna LEOPOLDI benignitate recipiet ſenſim, & ad priſtinum, qvod opto, faſtigium evehetur. Ne vero Deus ſinat, ut in barbarorum ſervitutem recidat; tibi autem qvod agis, bene eveniat, tibi, inqvam optimi meritiſſimiqve *Patris*, ſacrorum Bartenſium Antiſtitis filio, cui multa & cumulatiſſima inter Pannonas præmia ſummus vitæ fortunæqve arbiter dilargiatur. Ex Muſeo CIↃ IↃC XC. IV. Eid. Septembr.

Z
1038.19

99 957005

1038 19

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 8274800